

1571 terempto, ejus imperatoria triremi nostri potiuntur; statimque, vexillo triplici dimidiatae lunae facie intertexto, quo in bellis Turcae uti solent, depresso, signum, quo humani generis Servatoris cruci affixi effigies impressa praeferebatur, repente explicatum, atque sublatum est; quo conspecto, incredibili laetitia cunctorum perfusis animis, lachrymisque ex oculis manantibus, ingeminatis, atque saepius iteratis vocibus, tota classe faustum victoriae nomen detonuit. Halis caput hastae infixum laetissimum spectaculum praebuit. Eodem momento altera, in qua imperatoris filii erant, Pertaique, & Caracozae triremes in potestatem nostrorum concessere. Pertaus in lembum desiliens, fuga Naupactum pergens, vitae consuluit. Caracoza in praelio cecidit. In ea Turcarum consternatione, media jam acie profligata, triginta triremes a reliquis subductae, dolonibus expansis, remorumque pulsu evadere conabantur. Ea re Canalius, ac Quirinus, qui jam in sinistro agmine egregie dimicaverant, animadversa, ex proximis triremibus viginti circiter selectis, praetervecti, itinere intercepto, fugientes a latere adoriri parant. Earum aliquot circumactae, ad pugnam conferendam se expediunt. Christophorus Condocalius Corcyrensis in Alibegum, qui Arabametis Rhodiae custodiae praefecti locum obtinebat, invecus, eo extincto, triremi potitur. Reliquae perterritae, pugnae consilio abjecto, cum aliis in Malum angulum scopulum impegere; classarii in mare ejecti letho se eximere sunt conati. Condocalius postea, hostium signis Venetias delatis, a Senatu in equitum ordinem est adscriptus.

*Christiana  
classis vi-  
ctoria.  
Pertai fu-  
ga.*

*Anconius  
Canalius  
& Marcus  
Quirinus  
Turcas  
triremes  
persequun-  
tur.  
Christopho-  
ri Condoca-  
lii Corcy-  
rensis vir-  
tus.  
Uluzzalius  
nostras tri-  
remes ag-  
greditur &  
fundit.*

Eodem tempore adhuc in dextero cornu atrox & cruenta pugna edebatur. Uluzzalius cum extremam aciei partem circumire, uti statuerat, nequivisset, conversis prorsus, reflectere iter conatus, in quindecim foederatarum triremium agmen, quod interjecto maris spatio a reliquis sejungebatur, illatus, cum impar ad illius impetum sustinendum esset, ingentem caedem edit: an fortunae, an calliditati, parumque propenso nonnullorum studio idtribuendum sit, in incerto est. Joannes Andreas Auria, qui dexterum ductabat cornu, in altum adeo se evexerat, ut triremes nonnullae, vel quod illum celeritate assequi non possent, vel quod actu id efficere suspi-